DISPUTATIO JURIDICA
INAUGURALIS,
AD
Legem Corneliam de Sicariis;
QUAM,
FAVENTE DEO TER OPT. MAX.
Ex Auctoritate Magnifici D. Rectoris
FRANCISCI BURMANNI,
S. S. Theol. Doctoris & Profeſſoris Ordinarii;
NEC NON
Ampliſſimi Senatus Academici conſenſu, & Nobiliſſimæ Facultatis JURIDICÆ Decreto,
PRO GRADU DOCTORATUS
Summisque in UTROQUE JURE Honoribus & Privilegiis ritè ac legitimè conſequendis,
Eruditorum Examini ſubjicit
PETRUS MOGGE A RENESSE. Zirizæa-Zelandus.
Ad diem II. JULII, *loco horisque ſolitis.*



TRAJECTI ad RHENUM,

Apud GUILIELMUM vande WATER, Academiæ Typographum. CIↃ IↃ CCXVIII.

Nobiliſſimis, Ampliſſimis, Spectatiſſimiſque

VIRIS

D.D. HUBERTO MOGGE,

J. U. D. Toparchæ de Reneſſe, Civitatis Zirizæanæ Viro Conſulari & Senatori &c. &c. Patri ſuo optimo, filiali amore & obſequio in æternum colendo venerandoque.

D.D. JOH. D. OCKERSSE,

J.U.D. Toparchæ de Dreyſchor ejuſdem civitatis Exconſuli, Senatori & Theſaurario &c. &c.

D.D.CORN. D.OCKERSSE,

J.U.D. ejuſdem urbis Exconſuli & Scabino &c &c. avunculis debita reverentia honorandis.

D. D. PETRO KEMPE,

Toparchæ de Bomeneda, ejuſdem civitatis hoc tempore Conſuli, Senatori & Scabino, &. &c. amico exoptatiſſimo.

UT ET

VIRO CELEBERRIMO

D. D. JOHANNI VAN MUYDEN,

J. U. D. in hac Illuſtri Academia Profeſſori Ordinario, Cameræ Juſtitiæ, quæ eſt Diœceſios Vianenſis, Senatori, Præceptori facillimo, Promotori deſideratiſſimo.

Haſce ſtudiorum ſuorum primitias, ſeque totum humillime

Offert & dedicat

PETRUS MOGGE A RENESSE, AUCTOR.

DISPUTATIO JURIDICA
INAUGURALIS
AD
Legem Corneliam de Sicariis.

THESIS I.

Quoniam mihi ad lauream doctoralem aſpiranti propoſitum erat, antequam exercitiis Academicis valedicam, ſummos in Utroque Jure honores conſequendi, neceſſitas ratione juſtæ conſuetudinis erat mihi impoſita, de aliqua materia diſputare eamque exponere. Ut ergo hoc facerem,in dubio diu verſatus eſt animus, quonam ſe converteret; ſed denique poſt longam hæſitationem omnem ſcrupulum removens, hanc Legem a *Lucio Cornelio Sylla Dictatore* latam, *l.* 2. §. 32. *ff. de Orig. Jur.* & teſte *Seneca in Libro de providentia Cap.* 3. quantum fert ingenii mei imbecillitas & exigua capacitas ſe extendit, ex magno Juris Oceano explicandam elegi. Si igitur omnia non ſatis recte exhauſerim, veniam me impetraturum; a tua, Humaniſſime Lector, benevolentia deſidero. Sed ut ſolito diſputationis ordine procedam, antequam ad reliqua pergam, neceſſarium duximus, ut primo videamus quædam de ſicarii etymologia & ejus ſignificatione, ut nos docet Cajus *in l.* 1. *pr. ff. de Orig. Jur.* quod & Ulpianus aſſerit in *l.* 1. *pr. ff. de reb. cred.* ubi dicit, *e re eſſe, priuſquam ad verborum interpretationem perveniamus, pauca de ſignificatione ipſius tituli referre.* Sicarius igitur a ſica appellatur, §. 5. *Inſt. de pub. judic.*

judic. quæ proprie eſt cultellus ferreus, utrinque ſcindens, recurvus, inſtar acinacis perſici, ut apta fuerit latronibus, & commode ſub veſtibus occultari potuerit: de iis loquitur Joſephus *lib.* 20. cujus verba ita interpretatus eſt *Lipſius lib.* 2. *Saturnalium ſermonum. Ii, qui ſicarii appellati, (latronum genus eſt) tunc ſane excreverant, utebantur gladiolis; quod ad magnitudinem attinet, haud longe ab perſarum acinace diverſis; ſed incurvis tamen inflexiſque, quales ſunt ea, quæ Romanis appellatur ſica, unde & agnominationem latrones ii habuerunt.* Generalius vero hic ſica accipitur, & etiam comprehendit omne telorum genus, & ita non refert, quo teli genere, aut quo modo cædes facta ſit, gladione an fuſte, §. 5. *Inſt. de publ. judic.* nam teli appellatione etiam ſine dubio gladium Lex Cornelia intellexit, quamvis propria teli ſignificatio gladio non convenit: & ita Sicarii aut homicidæ non tantum habentur illi, qui hominem occidunt, vel per alium fieri curant aut mandant, *l.* 5. *Cod. de accuſ. & inſcript. l.* 5. §. *ult. ff. quod vi aut clam. l.* 12. *ff. ad Leg. Jul. de adult. l.* 169. *ff. de Reg. Jur.* (cujus rei exemplum habemus in Sacra Scriptura 2 *Samuel. cap.* 12. *verſ.* 9. quum mandaverat David Joabo, ut adhiberet Uryam ex adverſo præliatorum fortiſſimorum, quo mortuus eſt Urya, quare Propheta Nathan Davidi dixit, Uryam Chitteum percuſſiſti, nam occidiſti eum gladio Hammonitarum, ut uxorem ejus aſſumeres tibi in uxorem; & ita Nathan Davidem tanquam ipſum homicidam conſiderat) ſed etiam & illi inter Sicarios referuntur, qui hominis occidendi cauſa cum telo ambulant, *d. l.* 5. *l.* 1. *pr. ff. h. t. l.* 7. *Cod. eod.* & ita quoque a conatu homines deterrere gravitate ſupplicii lex voluit, ut & qui voce occidunt, ut ſi quis falſum teſtimonium dedit, vel dolo malo facit, quo quis reus capitis fieret, *d. l.* 1. *pr.* & §. 1. *l.* 3. §. 4. *ff. h. tit.* dolus enim in hac lege pro facto punitur, *l.* 7. *ff. h. tit.* item qui homines libidinis vel promercii cauſa caſtrant, aut caſtrandos ſe præbent, *d. l.* 3. §. 4. *l.* 4. §. 2. *l.* 5. *ff. h. tit.* Caſtratio enim plurimarum cædium cauſa eſt, quia, ut Juſtinianus teſtatur in *Nov.* 142. e nonaginta exſectis ægre tres ſervatos fuiſſe. Qui Chriſtianos circumcidunt, *l.* 11. *pr. ff. h. tit.* & qui abortionis aut amatorium poculum dant aut propinant ad fætum formatum extinguendum, *l.* 38. §. 5. *ff. de pænis.* Eadem lege & venefici damnantur, qui venenis vel malis medicamentis homines occidunt, item qui venenum hominis necandi cauſa parant, exhibent, vendunt, *l.* 1. §. 1. *l.* 3. *pr.* & §. §. *ſeqq. ff. h. tit.* qui enim veneno homines occidunt, gravius crimen perpetrant, quam qui gladio

gladio e medio tollunt. *l.* 1. *Cod. de malef.* etiam qui artibus, ſive ut Juſtinianus ait §. 5. *Inſt. de public. judic.* ſuſurris magicis tale crimen committunt. Ad cujuſmodi ſuſurros referenda illa legis duodecim tabularum videntur; *qui malum carmen incantaſſit. Qui fruges excantaſſit. Neve alienam ſegetem pellexeris.* Item illud Virgilii

Atque ſatas alio vidi traducere meſſes.

Et id genus alia, quæ ſuperſtitioſi homines vi magicæ artis effici poſſe crediderunt, vide *l.* 4. *& l.* 6. *Cod. de malefic.* licet multa nimis temere dicantur, & falſo veneficis ſagiſve adſcribantur & per tormenta exprimantur, quorum nihil unquam fuerit factum, & ita prætextu talium incantationum ſæpe inſontes homines igne conſumuntur, quorum tamen accuſatio tantum conſiſtit in meris ſycophantiis. Præterea Legis Corneliæ rei ſunt Incendiarii, qui dolo incendium faciunt, aut fieri procurant; ſi vero cætu, converſu, turba, ſeditione incendium perpetraverint, etiam Legi Juliæ de vi publica ſubjiciuntur, *l.* 1. *pr. l.* 10. *ff. h. tit. l.* 11. *Cod. qui accuſ. non poſſ. l.* 5. *ff. ad Leg. Jul. de vi publ.*

II.

Vindicatur ergo hac lege homicidium voluntarium, quod committitur malo animi propoſito, quum quis dolo hominem occiderit, non habita differentia, cujuſcunque fuerit conditionis, qualitatis, ſexus & ætatis, *l.* 1. §. 2. *ff. h. tit. l.* 8. *Cod. eod. l.* 12. *ff.* §. *ult. de accuſ. l.* 39. *ff. de pœn. l.* 152. *ff. de verb. ſign.* licet enim ſervus in jure civili veluti in Lege Aquilea pro nullo habeatur, Lex tamen Cornelia naturam ſpectat atque tuetur, hominibus omnibus, tam liberis, tam ſervis communem, *d. l.* 12. §. *ult.* quia nullus eſt tam vilis hominis ſanguis, ut non manus inquinet, ut Quintilianus non minus vere quam pulchre dixit *Declamat.* 291. ſed præterea nihil intereſt, utrum quis ſuum an alienum ſervum occiderit, nam jus vitæ & necis paulatim conſtitutionibus Principum dominis ademptum eſt, & non licet ſine cauſa in ſervos ſævire ſupra modum §. 2. *Inſt. de his, qui ſui vel alien. Jur.* non hac Lege punitur neceſſarium homicidium, nempe quod fit ob neceſſariam corporis defenſionem, ſervato moderamine inculpatæ tutelæ, *l.* 1. *Cod. unde vi. l.* 1. 2. 3. *Cod. h. tit.* §. 2. *Inſt. de Leg. Aquil.* hoc moderamen conſiſtit in juſta defenſione non ad vindictam facta. *ead. l.* 3. *Cod. eod.* ut ſcilicet quis non primus cauſam rixæ dederit, nec initio illius auctor fuerit, quum tamen aliter periculum effugere non potuerit, nam ad nos defendendum nobis gladius ab ipſis porrigitur legibus, quia quod unuſquiſque ob tu-

telam

telam corporis ſui fecit, jure feciſſe intelligitur, *l.* 3. *ff. de juſt. & jur.* & adverſus periculum permittit ſe naturalis ratio defendere, *l.* 4. *&* 5. *ff. ad Leg. Aquil.* atque vim vi repellere omnes leges omniaque jura permittunt, *l.* 45. §. 4. *ff. eod.* idque patet, quia ratio unicuique hominum amorem ſui longe tenerrimum ac ardentiſſimum conſervandi ſtudium, cum vita ſimul inſtilavit, & eo ipſo ſuæ quemque tutelæ quaſi commendavit, quin imo non tantum ſtudium ac voluntatem, ſed etiam ſui defendendi facultatem, manusque ad arma arripienda, & vim repellendam apta conceſſit: Hæc itaque facultas a natura conceſſa, homo tamdiu licite utitur, donec apparet, prohibitio facta ab eo, qui legitimam facultatem prohibendi habet, quod hactenus factum eſſe non apparet. Cum hoc jure naturali, divina voluntas in ſacro Codice nobis revelata optime conſpirat: Nam *Exod.* 22. verſ. 2. dicitur quod furem nocturnum impune occidere liceat vid. *Deut.* 19-6. De unanimi gentium conſenſu teſtantur plurimi. Textus plurimi ſupra citati ſunt clariſſimi: In jure feudali textus 2. *F.* 27. *verſ. ſi quis hominem* in Jure Canonico vid. *c.* 2. *c.* 3. *c.* 18. *X. de Homicid.* ſic in Conſt. Crimin. Carol. V. art. 140. huc merito referri poteſt elegantiſſimus locus Ciceronis in oratione pro T. Annio Milone, *Eſt hæc non ſcripta, ſed nata lex: quam non didicimus, accepimus, legimus: verum ex natura arripuimus, hauſimus, expreſſimus: ad quam non docti, ſed facti: non inſtituti, ſed imbuti ſumus: ut ſi vita noſtra in aliquas inſidias, ſi in vim, ſi in tela aut latronum aut inimicorum incidiſſet: omnis honeſta ratio eſſet expediendæ ſalutis. Silent enim leges inter arma, nec ſe exſpectari jubent, cum ei, qui exſpectare velit, ante injuſta pœna luenda ſit, quam juſta repetenda.* Nam ut ipſe in eadem oratione dixit, *quod hoc & ratio doctis, & neceſſitas barbaris, & mos gentibus, & feris natura præſcripſit, ut omnem ſemper vim, quacunque ope poſſent, a corpore, a capite, a vita ſua propulſarent:* nam hominem homini inſidiari nefas eſt; ut bene JCtus Florentinus ait in *l.* 3. *ff. de juſtit. & jur.* quia homo a Deo creatus eſt, ut cæteros homines, quantum fieri poteſt, tueatur ac juvet; adeoque multo magis ſemetipſum, imo hæc lex non tantum ſemetipſum tuendi & conſervandi eſt permittens, verum etiam jubens, quia Deus membra nobis ſuppeditavit in ipſius gloriam & honorem, adeoque ſponte ſequitur nos ea conſervare debere. Adeoque peccato non vacat is, qui abſque ulla cauſa perire mavult, quam adverſarium ſe invadentem repellere, cum homo non ſit dominus membrorum ſuorum, *l.* 13. *ff. ad Leg. Aquil.* Siquidem, ut dictum, non ſui, ſed

crea-

creatoris cauſa natus: ſed a contrario, qui ſui defendendi cauſa in vaſorem interfecit, non peccat *d. l.* 3. *ad L. Corn. de Sicar.* nec ejuſmodi cædes nulla eum labe aſpergit, nullisque pœnis ſubjecit *d. l.* 4. *& ſeqq. ff. ad Leg. Aquil.* vide *d. Conſt. Carol. V.* 139. 140. Etiam hac lege non vindicatur homicidium caſuale, quod citra propoſitum occidendi, & neceſſitatem caſu committitur, ut ſi quis alto ſe præcipitaverit, & ſuper alium venerit, aut cum putator ex arbore ramum dejecerit, atque prætereuntem occiderit, nam in Lege Cornelia quidem dolus pro facto accipitur, non vero culpa lata pro dolo, *l.* 7. *ff. h. tit. l.* 5. *Cod. eod.* ac ne hac lege tenentur infantes vel furioſi, quia hos innocentia conſilii tuetur, illos facti infelicitas excuſat, ut dicit Ulpianus in *l.* 12. *ff. h. tit.* Impuberes non aliter, quam ſi doli ſint capaces, quales intelliguntur eſſe, qui pubertati proximi ſunt, *l.* 111. *de regul. jur. l.* 23. *ff. de furt.* mitius tamen plerumque puniuntur, & juvenili ætati ac imprudentiæ ſuccurritur, *l.* 108. *ff. de reg. juris.*

III.

Dixi in theſi præcedenti, quod neceſſarium homicidium non punitur, ſervato moderamine inculpatæ tutelæ, unde Interpretes quærere ſolent, an ille, qui moderamen inculpatæ tutelæ exceſſerit, ordinaria an extraordinaria pœna ſit afficiendus? & mihi placet atque arridet eorum ſententia, exiſtimantium, de ordinaria pœna illis aliquid eſſe remittendum & pœnam mitigandam, quoniam cauſa concitationis ab injuriante proficiſcitur, nec deliberandi tempus præſens periculum patitur, quia in inſidias incidit, atque neceſſitas nos in eas anguſtias ducit, ut ſi leges exſpectare velimus, ante injuſta morte ſimus perituri, quam juſtam pœnam petituri, ut optime atque eleganter *Ant. Matth. in lib. de Criminib. pag.* 487. oſtendit; ſed ſecus dicendum puto, ſi provocans occiderit, quia in inſidias irruit ſponte, vide *Anth. Matth. d. l.* Nec ferendus eſt is, qui ad defendendam famam aliquem occidit, quamvis nonnulli hoc affirmare audeant, impune aliquem interfici poſſe pro honoris defenſione, ſi imminet aliquod periculum injuriæ perſonalis, quia fama vitæ comparatur, *arg. l.* 8. *ff. Quod met. cauſ. & l.* 9. *ff. d. Manum. vind.* Nos tamen hanc ſententiam abſurdam dicimus, & juri rationique contrariam judicamus, ſequemur ergo negantium ſententiam, quia revera bona exiſtimatio a privatis auferri nequit, in poteſtate enim privati non eſt aliquem infamare, quoniam noſtra bona exiſtimatio non dependet a maledictis privatorum hominum, ſed tantum a facto noſtro & auctoritate le-

gis. *l.* 5. §. 1. *de extraord. cognit. arg. l. 7. quod met. cauſ.* quare etiam merito ob metum infamiæ reſtitutio in integrum non datur, *d. l. 7. eod.*

I V.

Sed licet regulariter pœnæ tantum ſubjiciantur, qui aliquem occidunt, inveniuntur tamen, qui impune ſine metu legis occidi ſemper poſſunt, nempe, qui aut exitio reipublicæ, aut vitæ aut bonis ſingulorum aut pudicitiæ imminent; in primo ordine ſunt referendi, qui Rempublicam evertere ſtudent, aut ad patriam delendam, & parentes & liberos interficiendos veniunt, *l.* 35. *ff. de relig. & ſumpt. fun.* transfugæ, qui ad hoſtes transfugiunt aut tempore belli aut induciarum, & malo propoſito & proditoris anima patriam relinquunt, *l.* 3. §. *ult. ff. h. tit.* etiam & militiæ deſertores. *l.* 2. *Cod. quand. lic. unic. vind. ſin. jud.* quia ut Tertullianus in Apologetico ait, *in reos majeſtatis & publicos hoſtes omnis homo miles eſt.* Imo ad quietem publicam conſervandam intereſſe videtur, ut quandoque privatis conceſſione publica pœnas exigendi licentia competat, *tot. tit. Cod. quand. licet unic. ſin. jud. ſe vind.* melius enim eſt occurrere in tempore, quam poſt exitum vindicare, *l.* 1. *Cod. eod.* Cum enim magiſtratui in LL. tranſgreſſores, animadvertendi poteſtas competat, nihil intereſt, cui Magiſtratus hujus ſui juris executionem mandet. Inter eos, qui ſecundæ ordini annumerantur, recte referuntur fur, latro, & nocturnus populator agrorum; quia & hi non ſolum bonis ſed etiam vitæ hominum inſidiantur, & neſcimus, an ad auferendum an ad occidendum veniunt, impune itaque occiduntur, *l.* 2. 3. 4. *Cod. h. tit. l.* 1. *Cod. quand. lic. unic. ſin. jud. l.* 45. §. 4. *ff. ad Leg. Aquil.* ille tamen, quoniam tantum bona rapere ſtudet, vitæque non imminet, non aliter e medio tolli poſſe exiſtimo, quam ſi telo ſe defendit, & ſine periculo ſuo ei parcere non potuimus, *l.* 9. *ff. h. tit.* hoc caſu a lege duodecim tabularum receſſum eſt, quæ ſimpliciter furem noctu deprehenſum occidere permiſit, modo id cum clamore teſtificetur, ratio eſt, ut fur audito clamore ſe in fugam conjicere poſſet, & ut vicini teſtes eſſe poſſent nos non potuiſſe furi parcere ſine periculo vitæ noſtræ; interdiu autem eum occidere non licebat, niſi ſe telo defendit, ut tamen æque id cum clamore teſtificetur, *l.* 4. §. 1. *ff. ad Leg. Aquil. l.* 54. §. 2. *ff. de furt.* Ratio autem quare Decemviri nocturnum quoquo modo occidi permiſerunt, forte erat, quia tenebræ terrorem augent & ejus propoſitum ignoramus. Quamobrem jure divino ita inſtitutum erat, ut ſi in effoſione deprehendatur fur de nocte, & cæſus ſit, reus cædis non fieret percuſſor, ſi vero

ſol

ſol ortus fuerit ei, reus eſſet, *Exod. cap.* XXII. *verſ.* 2. *&* 3. præterea a pœna non ſolum immunes ſunt illi, qui ad tuendam ſuam pudicitiam aliquem interficiunt, ſed etiam & ſuorum, *l.* 1. §. *pen. ff. h. tit. l.* 20. *cum ſeqq. ff. ad Leg. Jul. de adult. l. unic. Cod. de rapt. virg.* nempe quum adulter aut raptor aut violentus ſtuprator in ipſo actu deprehenduntur. Cæterum uti defenſio unicuique regulariter competit, ita quoque omnis invaſor, qui me invadendi jus non habet, vi oppoſita repelli poteſt *d. l.* 5. *ff. ad Leg. Aquil.* etiamſi mulier vel alius fuerit. *d. Conſt. Crim. art.* 144.

V.

Sed an ille, qui exempli gratia, Sempronium occidere deſtinaverat, lapſus in perſona per errorem Titium occidit, hac lege punitur? Dicimus eum in culpa & cædis reum eſſe: nam quamvis nunquam habuerit animum occidendi Titium, error tamen, qui non eſt in propoſito ſed tantum in objecto, ei non prodeſt, neque illum excuſare poteſt, quia homicidium in omnibus perſonis eſt illicitum, & non refert quis aut qualis occiditur, modo reus animum occidendi habuerit, quia rei illicitæ operam dedit. Sed licet huic ſententiæ adverſari videatur, quod animus & propoſitum occidendi adeſſe debent; non tamen neceſſe eſt, ut adſit animus occidendi Titium, modo tantum adſit voluntas occidendi in genere. vid. *l.* 28. §. 3. *ff. de injur. l.* 41. §. *pen. ad L. Aquil. l.* 1. §. 3. *l.* 14. *ad Leg. Corn. de Sicar.* Nec obſtat *l.* 11. §. 2. *in fin. ff. de pœn.* nempe quod reus cædis non eſt, qui in venando, quum telum in færam mittere vellet, hominem occidit, quia ab eo abfuerunt conſilium cædis & dolus malus, quos Lex Cornelia exigit. Sed alia hic oritur quæſtio, nempe quum quis vulnerari mandat, occidi tamen vetat, mandatarius nihilominus occidit, an eo caſu mandans æque ac mandatarius gladio feriendus ſit? Quod affirmamus & verum putamus non tantum Jure Canonico, *c. fin. de homicid. in 6.* ſed etiam Jure Civili, *l.* 38. §. 5. *ff. de pœn. l.* 6. *Cod. ad Leg. Jul. de vi publ. l.* 51. *ff. ad Leg. Aquil.* ratio eſt, tum, quod nihil intereſt, an occidat quis, an mortis cauſam præbeat, *l.* 15. *ff. h. tit.* tum quod ſit res peſſimi exempli, quod vero mandatarius ſine dubio teneatur de pœna ordinaria extra omnem dubitandi rationem eſſe videtur, nam vix eſt, ut non habeat animum occidendi, qui habet animum vulnerandi, *l.* 7. §. *ult. de juriſd. l.* 1. §. 3. *de vi & vi arm. l.* 11. §. 3. *de injur. l.* 15. §. 1. *ad Leg. Corn. de Sicar. l.* 5. *Cod. de accuſ.* quodque ergo mandans æque teneri debeat, exinde conſtat quod mortis cauſam præbuit, nam ſi mandatum vulnerandi non dediſſet, mandatarius

 non

non occidiſſet: ſcire enim debuit, aut ignorare non potuit, vulnera ad menſuram infligi non poſſe. Quæ ſententia omnium licet fere Doctorum eſt, non tamen ad eum caſum extendenda, ſi mandans alicui alapas dari aut injuriam inferri juſſerit, ex qua nullo modo mors ſequi poteſt. Sed diſſentientes opponunt §. 8. *Inſt. de mandat. junct. l.* 3. *in fin. l.* 4. *&* 5. *ff. eod.* ex quibus probatur, quod mandatarius non debet excedere fines mandati, & cum eos excedit & cædis facta eſt, quod hoc fit præter ſpem & exſpectationem mandantis, quodque ergo mandatarius, ſi aliud fecit, quam mandatum erat, non tanquam mandatarius deliquit, ſed ſuo nomine & periculo. Nam iſtæ leges loquuntur tantum de mandato rei licitæ & de obligatione ex contractu; aliud dicendum eſt in mandato rei turpis & in obligatione ex delicto, quod cum mandatum non ſit, regulæ mandati locum habere non poſſunt, nam mandatarius ictum moderari ſuo arbitrio non poteſt. Opponunt etiam, *l.* 1. 7. 14. 16. *ff. h. tit.* ex quibus conſtat, quod is, in quo non eſt dolus ſeu propoſitum occidendi, non tenetur de pœna ordinaria, & quod mandans vulneris tale propoſitum non habuit; ſed quamvis directo non habuerit animum occidendi, tamen per indirectum homicidium velle intelligitur, dum mandavit, ex quo mors ſequi poteſt; ſed & animum occidendi habere, & mortis cauſam præbere paria ſunt in jure noſtro *d. l.* 15. & qui mandat vulnerari ſed non occidi, per conſequentiam videtur habere animum occidendi, quia verſatur in re illicita, ſic E. G. qui dedit poculum amatorium vel abortifærum tenetur ex *L. Corn. de Sicar.* ſi mulier vel partes inde perierit, quia etiam verſatur in re illicita, licet animum occidendi non habuerit vid. *l.* 38. §. 3. *de pœn. l.* 3. §. 2. *ad Leg. Corn. de Sicar. d. l.* 51. *ad L. Aquil. l.* 6. *C. ad L. Jul. de vi.* Obſtare videtur *l.* 1. §. 3. *ff h. tit.* ubi dicitur quod *qui clavi percuſſit vel cucuma, in rixa, quamvis ferro percuſſerit, tamen non occidendi animo, liniendam pœnam:* quæ lex dicere videtur, quod qui animum vulnerandi non habuit neque occidendi, non teneatur de pœna ordinaria; ℞. textus objectus loquitur de eo, qui inconſulto calore in rixa percuſſit, & caſu fortuito occidit, non de eo qui vulnerare voluit. Adeoque ſenſus eſt; quod lenienda ſit pœna ejus, qui nec occidendi nec vulnerandi animum habuit, veluti quando in rixa caſu magis, quam voluntate homicidium commiſit. Pro *cauſa* vero in *d. l.* legendum eſt *caſu.* Inconſultus autem calor dolo caret, *l.* 1. §. 5. *ad SCt. Turp.* vid. *l.* 14. §. 6. *de bon. lib.* Cæterum regula quod mandans & mandatarius ex delicto tenentur ad pœnam ordinariam, fallit in caſu, quo mandans habebat jus imperandi, ut pater reſpectu

filii,

filii, & dominus reſpectu ſervi: hoc enim in caſu ignoſcitur filiis & ſervis in delictis, quæ non habent atrocitatem facinoris. vid. *l.* 37. *ff. ad L. Aquil. l.* 20. *ff. de O. & A. l.* 157. *ff. de Reg. Jur.*

V I.

Porro quæritur, an homicidium ab ebrioſo ad Cyathum commiſſum, ordinaria an extraordinaria pœna puniendum ſit, & ſecundum communem Doctorum ſententiam dicimus, ebrioſitatem delinquentes non liberare ab ordinaria pœna, quia, ut bene Pſitacus judicavit, duplicem eos meritos fuiſſe pœnam, tum quod per ebrietatem deliquerunt, tum quod ſe vino obruerunt, ut formidine pœnæ magis magisque nimio vino abſtinerent, quia eo multum mali oritur, quare ipſe Apoſtolus Paulus *Epiſt.* 1 *Corinth. cap.* 6. *verſ.* 10. ad indicandum, quam grave peccatum ebrioſitas eſt, eodem modo de ebrioſis quam de ſcortatoribus & raptoribus loquitur.

V I I.

Nihil intereſt in committendo homicidio, an cæſus in continenti obierit, an poſt diem ex lethali vulnere animam efflaverit, & quamvis ſacra ſcriptura in vindicatione cædis corporibus ſervorum commiſſæ dierum diſtinctionem adhibeat, non tamen de ea mentionem facit in punienda morte hominis liberi, in qua tantum illud eſt conſiderandum, utrum percuſſus ſurgens ambulaverit foras nixus ſcipione ſuo, nec ne, ita ut priori caſu percuſſor innocens, poſteriori reus habeatur *Exod. cap.* XXI. *verſ.* 18. *& ſeqq.* quare cum cæſus in ipſo facto diem ſupremum non obiit, inſpectio & inquiſitio neceſſariæ ſunt, an vulnus lethale fuerit & id mortis cauſam ei præbuerit, an accidentale aliquid ſupervenerit quod Medicorum non Juriſconſultorum eſt, quibus in hoc caſu fides tribuenda, quia unicuique in ſua arte credendum; modo medici ſunt jurati, injuratis autem non habetur fides, ſicut nec uni, niſi forte plures eo tempore inveniri non poſſint, in ore enim duorum aut plurium conſiſtit omnis veritas; *l.* 12. *ff. de teſt.* non tamen neceſſe eſt, ut ſingulis occaſionibus & cauſis jurent, ſufficit eos hoc initio ſui muneris feciſſe. Præterea diſtinguendum eſt, an vulnera ſint lethalia vel ſimpliciter, vel non; Simpliciter lethalia ſunt, quando ea ſanari non poſſunt ulla arte, ſed neceſſario mortem inferunt pauci temporis ſpatio, raro enim, tali vulnere accepto ſeptem dies vivunt: non ſimpliciter lethalia dicuntur, quæ curari & ſanari poſſunt, & ex quibus neque cito neque neceſſario mors ſequitur; hac in parte mores hodierni ſpatium XL. dierum ſtatuunt, atque exigunt, ita ut, qui poſt diem quadrageſimum vixit, hujus morti cauſam non præbuiſſe vulnus, ſed fatum credatur;

alii tamen præter hanc præſcriptionem neceſſitatem in publicum prodeundi addunt.

VIII.

Pœna Legis Corneliæ de Sicariis fuit deportatio & bonorum omnium publicatio, poſt honeſtiores in inſulam deportari, humiles capite plecti ſolebant, *l.* 3. §. *pen. ff. h. tit.* tandem pœna capitis impoſita eſt tam honeſtioribus, quam humilioribus, §. 5. *Inſt. de pub. jud.* graviori tamen pœna afficiuntur latrones famoſi, quos furca figere in iis locis, ubi erant graſſati, ſolebant, ut è conſpectu deterreantur alii ab iiſdem facinoribus, & ſolatio ſit cognatis & affinibus interemtorum, eodem loco pœna reddita; aliquando etiam ad beſtias damnarunt, *l.* 28. §. *pen. ff. de pœn.* Merito igitur gladius ſicarios luce orbet: divina enim lex ejus ſanguinem fundi juſſit, qui ſanguinem fuderit; impii ergo quorundam populorum mores dici poſſunt, qui ære accepto eorum crimina abolent; & impunitatem ob id iis concedunt, quaſi inter hominis vitam & æs ulla dabatur proportio: Quod ad pœnam veneficorum attinet, illa etiam gladius eſt, §. 5. *Inſt. de publ. jud. l.* 28. §. 9. *ff. de pœn.* & major ratio in eo militat, quia difficilius effugiendum eſt venenum, quam mucrones. Incendiariorum vero pœna hæc eſt, ut ſi quis ædes acervumque frumenti juxta domum poſitum combuſſerit, vinctus verberatus igne necetur, *l.* 9. *ff. de incend. ruin. nauf. l.* 10. *ff. h. tit.* qui vero ob inimicitias, vel prædæ cauſa incenderint intra oppidum plerumque vivi exuruntur, qui caſam aut villam lenius puniuntur, *l.* 28. §. 12. *ff. de pœn.* evenit tamen, ut in quibuſdam provinciis gravius plectantur, ut in Africa meſſium incenſores, *l.* 16. §. *pen. ff. eod.*

IX.

Ad pœnam commiſſi homicidii hoc quoque pertinet, quod ſicario tanquam indigno auferri debeat ejus hereditas, quem e medio ſuſtulit, nec intereſt, an in teſtamento an ab inteſtato fuerit delata, utroque enim caſu fiſco applicatur, *l.* 7. §. *pen. ff. de bon. damn. l.* 10. *Cod. quib. ut indign. hered. aufert.* nam ſi heredi, cujus negligentia is, a quo heres erat inſtitutus, diem obiit ſupremum, nec non ei, qui non vindicata nece defuncti, hereditatem adiit, tanquam indignus aufertur hæreditas, *l.* 3. *ff. de his, quæ ut indign. l.* 1. *Cod. eod. l.* 5. §. 2. *l.* 9. *ff. de ſenat. ſilan.* quanto magis ille ea indignus exiſtimari neceſſe eſt, qui ipſe interfecit: vindicat autem fiſcus non ſolum quæſitam, ſed & hæreditatem quærendam, nempe qui teſtamentum feciſſe defunctum prohibuit vel coëgit,

l. 1.

l. 1. 2. *ff. ſi quis aliq. teſtar. prohib. vel coëg. l.* 3. §. *ult. ff. ad Senat. Trebell.* nec refert, an liberos ſuperſtites reliquerit ſicarius necne, *d. l.* 7. §. *pen. ff. de bon. damn.* etiam præfertur fiſcus ſubſtitutis, licet ſubſtitutus coheredi ſeu conjuncto potior ſit, *l.* 2. §. 8. *ff. de bon. poſſ. ſecund. tabul. l.* 30. *ff. de vulg. & pupill. ſubſtit.* tamen fiſco potior dici non poteſt, ut patet ex *l.* 15. *ff. de ſenat. ſilan.* ſed ſi teſtator, antequam lethaliter vulneratus ſit, ſicarium heredem inſtituit, & non revocavit; eo caſu quæri ſolet, an nihilominus illi, ut indigno, auferenda ſit hæreditas? Ratio dubitandi eſt quia teſtator, vulnere accepto, dum decubuit, potuit voluntatem ac teſtamentum mutare, & quamquam non deſunt, qui hoc caſu hæreditatem non auferendam putant, quia eo actu pœnæ gratiam feciſſe præſumitur: verior tamen & probabilior aliorum ſententia mihi videtur, etiamſi teſtator prohibuerit hereditatem inſtituto auferri, quod affirmandum videtur ex *l.* 55. *ff. de legat.* 1. *l.* 38. *de pact.* ſufficiat ergo me tantum pauca, B.L. de hac materia inordinate explicaſſe, reliqua enim, brevitati ſtudens, non attingam, imponamque diſputationi

FINEM.

Corol-

Corollaria.

I.

Condictio furtiva datur contra heredes in ſolidum.

II.

Dolus dans cauſam contractui bonæ fidei reddit eum ipſo jure nullum.

III.

Pupillus infantiam egreſſus ex contractu naturaliter obligatur.

IV.

Minor ſine conſenſu curatoris contrahens civiliter non tenetur.

V.

Liberi fideicommiſſo gravati jure civili tantum unam quartam deducere poſſunt.

VI.

Qui credidit ad navem armandam non habet legalem hypothecam.

VII.

Ex pacto nudo non datur actio.

FINIS.